







Nf. 24.













72.  
12



**DECANVS**  
**ET PROFESSORES COL-**  
**LEGII PHILOSOPHICI**  
**IN ACADEMIA FRIDERICIANA**  
**LECTVRIS**  
**S. D.**

12

m.







**S**unt virtuti sua præ-  
mia, sunt honestamenta merito-  
rum, quæ nemo forsitan in dubi-  
um vocat, nisi qui ipsam virtu-  
tem negare, vel interuertere etiam audeat. Ut  
enim solem lux atque splendor, aut umbra cor-  
poris opacitatem consequitur; ita laus atque  
existimatio, tanquam præmium virtutis & me-  
ritorum non solet longius, nec debet etiam, ab  
iis abesse, qui bene faciendo, aut saltem præpa-  
rando, ad communem utilitatem aliquid con-  
ferunt. Omnes mortales decet facere, vnde  
societati humanæ aliquod commodum existat:  
sed nulli videntur id rectius & magis ad rem pu-  
blicam exigere, quam qui animum suum hone-  
stis artibus atque disciplinis instruunt, ac indu-  
strie collaborant, ad quod origo illos atque pri-  
mæua nobilitas vel fortius trahit, vel suauiter  
tantum-



tantummodo inuitat. Bestias animantes  
Deus condidit, vt humi repant & ventri obedi-  
ant, nihil vltra vitam, quam agunt, sibi adse-  
ctantes, cum qua illarum omnia exspirant atque  
penitus extinguuntur: at vero homini immor-  
talem animam vel ideo indidisse Deum scimus,  
vt erectior ille ab humo ad coelum & honesta-  
tem contendat, virtutes colat, atque eas disci-  
plinas doctrinamque persequatur, quæ ad vir-  
tutis studium non modo adducunt facile, sed il-  
lud etiam fideliter custodiunt, & magnis incre-  
mentis auctum amplificatumque, per omnem  
vitam studiosissime conseruant. Litterarum  
hæc studia siue disciplinarum humaniorum  
sunt, quibus animus noster ad humanitatem,  
hoc est ad vitam homine dignam vere eruditur,  
& ea discit atque intelligit, vnde non tantum si-  
bi & suis rebus consulere, sed etiam promptius a-  
lacriusque in iis disciplinis atque studiis possit  
promouere, quibus hominum societas vel ad  
coelestes curas & felicitatem æternam, vel ad ci-  
vile bonum & publicam tranquillitatem perdu-  
citur. Quæ sane quum præclara & homine cum



primis digna sint studia atque exercitamenta, omnino suis præmiis haud fas est vnquam destitui, aut parciori laude, quam alia studiorum genera ornari, quibus neque præstantia rerum, neque utilitatis gloria concedere quidquam necesse habent. Palæstritas suos Græci Romani- que, quum vicissent, corollis, lauro, palma, rube donauerunt, vt ab imperitioribus honoris notula discerni, & merita præ illis laude condecorari ab omnibus possent, quibus in pretio virtus esset & rerum bene gestarum gloria. Sed non eadem virtutis apud omnes ratio atque facies: & athleticis quidem sua & pugilibus constabat; at vtique maior præstantiorque in litterarum cultoribus inest, quibus tanto plus præmiorum, iudicio sapientissimi cuiusque, debetur, quanto maioris est animum, quam corpus, exercere, & humani generis utilitatem, quam plebeculæ oblectamenta, suis laboribus atque studiis procurare. Hoc magnæ illæ Animæ maximorum Principum atque Imperatorum identidem cogitauerunt, quum liberalium studiorum præclara præmia constituere; neque tantum

in

s

tum



tum illorum, quibus proxime ad coelum homi-  
nes adducuntur, aut res publica administratur,  
aut denique valetudini mortalium consulitur;  
sed non minus etiam illius litteraturæ atque do-  
ctrinæ, quæ vel Philosophiæ modestiori nomi-  
ne, vel humaniorum litterarum propria appel-  
latione omnibus commendatur. Interest enim  
publicæ utilitatis, illos etiam publico testimo-  
nio adiuuari, qui sua sedulitate ac indefesso la-  
bore se præparauerunt, ut pluribus prodesse, &  
ad publicam rem suæ industriæ fructus adferre  
aliquando possint. Quum itaque potentissi-  
mus CONDITOR atque STATOR huius Vni-  
versitatis studiorum, etiam præmia velit meren-  
tibus conferri, eamque facultatem augustissi-  
mus inuictissimusque IMPERATOR pro sum-  
ma potestate sua nuper largissime clementissi-  
meque concesserit, Eiusdem laudatissimi IN-  
STAVRATORIS huius Academiae benignissi-  
ma voluntate atque mandato, quod feliciter  
vertat, ad exsequendum adgrediemur, quæ  
CAESARAE MAIESTATIS indulgentia, cum  
toti nostræ Academiae, tum etiam nostro Phi-

)( 3

loso.





Philosophorum Ordini liberalissime data atque  
contributa sunt. Omnes itaque humanitatis  
studiorum & artium liberalium ac philosophiæ  
sectatores, qui industriæ suæ testimonium pu-  
blicum & præmium meritorum concupiscunt,  
etiam atque etiam humaniter inuitamus, ut si  
velint honoribus MAGISTERII, quod vo-  
cant, in philosophia ornari, nomen suum apud  
Collegium eiusque Decanum CHRISTOPHORVM  
CELLARIVM, Eloq. & Hist. P. P. rite profiteantur,  
quo de ceteris, quæ agenda & præstanda sunt,  
edoceri opportune possint. Nemini ex iis e-  
rit, quod de sumtu faciendo conqueratur, quem  
ita attemperatum cuiusque fortunis esse volu-  
mus, ut ne tenuiorem etiam sortem adgrauare  
possit: nec quisquam bonæ mentis alumnus  
& industrius virtutis cultor habeat, quod de  
præmiis, quæ conferemus, rei suæ familiari dif-  
fidat. Nunquam splendidiore ornatu hono-  
res capebantur, quam hac prima Vniuersitatis  
nostræ solennitate: nunquam etiam faciliore  
sumtu impetrabuntur, quam quum ex publica  
liberalitate vel omnes vel indigentiores aliquid  
spe-



sperare poterunt. Quod vero ipsa æquitas, & summorum etiam PRINCIPVM voluntas iubet, vt dignis atque merentibus præmia distribuantur; recte atque ordine illos facturos esse censemus, qui publico Disputationis specimine se non indignos nouis honoribus esse conuentui eruditorum adprobabant. Sed nec in isto etiam exercitio erit, quod quisquam sibi desumptu timeat, qui pro cuiusque facultate ita temperabitur, vt ne tenuissimorum etiam fortunam facile exsuperet.

Tandem publice etiam significari huius temporis atque loci esse videtur, peruetustum Academiarum morem, quo tirones studiorum sacris primo initiantur, hoc est deponere iubentur, quidquid indecorum liberalium artium studiosis est; in nostra quoque noua Academia receptum institutumque esse, ita tamen, vt quæ alibi ridicula & ingenuorum adolescentium conditioni minus apta, ministrorum quorundam abusus introduxit, procul abesse a nostris Musis iubeamus, retentis solis, quæ salubria sunt, & adolescentes de vitæ genere, quam  
ingre-



ingrediuntur, præceptis atque consiliis utiliter  
admonent. Heic quoque ad cuiusque æta-  
tem, conditionem, fortunam, atque digni-  
tatem res omnis accommodabitur, atque  
id apud singulos temperamentum statuetur,  
vt neminem aliquando poenitere possit, in no-  
stro Musarum templo litterarum se mysteriis i-  
nitiatum antiquo more fuisse. P. P. Halæ

Magdeburgicæ VIII. idus Ianuar.

cl. lxxc. XCIV.





Ja 1586



ULB Halle 3  
001 508 687

A standard 1D barcode is located on the library label, below the identification number.


73 206  
Sh

VD 78


VD 77











B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



ANVS  
SORES COL-  
ILOSOPHICI  
FRIDERICIANA  
TVRIS  
D.

72.  
12

12

m.

